

sunt ; recitemus , quæ ipsos Bojos comprehendunt : Ex castris Romanorum , qua Placentia erant , Galli auxiliares ad duo millia peditum , & ducenti equites , vigilibus ad portas trucidatis , ad Hannibalem transfugerunt , quos Poenus benigne allocutus , & spe ingentium bonorum accessos , in civitatem quenque suam , ad sollicitandos popularium animos , dimisit .

De Poenorum vero in Brutios injuriis , atque damnis , hæc ex antiquis sane Scriptoribus habemus ; ex Livio : Amilcar , Carthaginensis classis Praefectus , vastatius Locrorum & Brutiorum agri , cum omni classe in Panormitanum reveriuitur . Ex Polybio : Vibonenses autem libentius agri depopulationem , urbisque terrorem pati , quam a Romanorum fide discedere voluerunt : Senatusque hoc poslea percito , sexto Pomponio Legato cum vigintiquinque longis navibus vibonensem agrum , maritimamque oram Italæ tuendam attribuit . Ex eodem lib. 6. Græcas urbes , in Romanorum societate manentes , Hannonem tentasse . Locrensesque inter alios sua sponte urbem omnem necessariis rebus , quo Poenis pertinacius resisterent , instruxisse . Ex quibus Barrius noster concludere pro re nostra jure potuit : Non enim Carthaginenses Locrensum , Brutiorum , Vibonensemque , ac deum utraque Calabriae maritimam oram omnem vastassent , si Populi ad Poenos descivissent , & societatem cum illis iniissent . Itaque ex Transpadanis Italæ Boji , primi omnium Italorum , & cum ipsis Insubres , & Ligures , a Romanis ad Hannibalem defecere , societatemque cum eo iniere ; non autem Brettii , ceterique Calabri .

Ut autem oratio nostra eo revertatur , unde dicens est , concludendum superest , nunquam Brutios Christi tortores fuisse , quia poena illa a Romanis